



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI

3175







EPISTOLA  
AD STANISLAVM  
OSIVM CARDINALEM,  
VNA CVM ACTIS LEGATIO-  
NIS DE REGNO AD HENRI-  
CVM POLONIAE  
REGEM.

P. NAMOSSIO AVCTORE.



CRACOUIAE,  
In Officina Matthaei Siebeneycker.  
M. D. LXXIII.

(1574)

LECTORI CANDIDO  
Matthaeus Siebeneycher Typographus &  
Bibliopola S.

**E**PISTOLAM HANC VTI MVLTO-  
rum est iudicium, elegantem, de legatione Polo-  
norum ad S. Regem nostrum, scriptam; cum Ro-  
mæ impressam, & ad partes nostras allatam vide-  
rem, recudendam esse putauit, ut commodius ijs omnibus, qui  
earum rerum sunt studiosi, communicari possit. Quam operam  
nostram si tibi grata esse intellexero, enitar sedulò, vt me ad  
similia & multo plura ac maiora alia alacriorem experiaris.

Bene vale. Craco: 21. Maij. M. D. LXXIIII.

STANISLAO HOSIO CARDI-  
NALI,  
P. NAM OSSIVS  
S.

**A**CTA legationis ciuium tuorum ad Serenissimum POLONIAE  
Regem, cui potius mitti debent quam tibi, Stanislae; purpu-  
rati ordinis decus ac gentis tuae clarissimum lumen? Quæ  
et si non dubito ab alijs quoque scripta ad aures tuas iam pere-  
uenisse, meam tamen in hac re operam quamvis ignotus offero, prænun-  
ciam reuersionis in Italiam meæ. Cum autem istuc ero, recta ad comitatum  
tuum pergam: ad quem audio patere aditum virtuti cruditorum hominū,  
sic, ut Roma Bessarionis Nicæni familiam in tua relucere gaudet. In hac  
spe defixo animo latus uiuam, senectam tibi à Deo felicem & annosam  
dari cupiens. Parisijs. V I, Id. Mart. M. D. LXXIIII.



XVI. Qu. 3175

# ACTA LEGATIONIS DE REGNO, AD HENRICVM POLO NIAE REGEM.



EVM IMMORTALEM consueuisse noua semper munera largiriis, qui animum virtuti dediderint, Gallia anno superiore experta est: cum post obitum Sigismundi Augusti, Regnum Poloniæ Henrico Andegauorum Duci ob splendorem summæ virtutis datum accepimus. Rupeliam Santonum maritimam urbem obsidebat, eo tempore, quo proceres Regni Poloniæ, Lituanięque consilio coacto de Rege diligendo consultabant; ubi sententiis dictis magno Senatus, & omnium ordinum consensu Rex pronunciatur, sub Varsouia Mazouiæ oppido, anno Christiani numeri millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, v. Idus Maias.

Hec electio novo Regi in castra nunciata est, quum alterum & vigesimum ætatis annum nondum implevisset: duobus tamen maximis præliis & periculisissimis egregium militaris animi & fortitudinis suæ specimen iam dedisset. Pauci admodum erant, qui bonum nuncium ex Gallica ad Polonos legatione auditum iri vñquam existimarent: quod Senatores

A 2. regni

1573  
xj. Maii.

## ACTA LEGATIONIS

regni Piastum, id est, ciuem aut ex finitimis regionibus candidatum aliquem in locum demortui Regis suffecturi viderentur. At opinio virtutis apud bellis cosam gentem ambitu omni superior fuit, plusque vi- rium fortia facta, quam vllæ conuentiones habuere. Concilio nondum dimisso, tabulae electionis consecræ sunt. Ad eas in Galliam perferendas, & salutandum Re gem delecti tam à Senatu Poloniae & Lituaniæ, quam ab equestri ordine tredecim oratores, magno in illis regionibus natu loco, & summae habiti auctoritatis. Legationis principem locum obtinebat Adamus Conaricus Cobilinus Polonianæ Episcopus, collegæ erant Albertus Lascus Palatinus Syradiensis: Ioannes Bas- tista Thencinii Comes: Ioannes Tomicius Castel- Ianus Gnesnensis: Andreas Comes Gorcanus: Ioannes Herburtus Castellanus Sanocensis: Stanislaus Criscus Castellanus Raciaznensis: Nicolaus Chris- stophorus Radiulus Dux in Olica: Ioannes Sarius Zamoscius Relsenlis Prefectus: Nicolaus Firleus Casimirienlis: Ioannes Sboroscus Odalanouiensis: Nicolaus Tomicius: Ioannis filius: Alexander Dux Prunensis. Qui perita quidem facultate, nondum ta- men impetrata per Germaniam itineris faciundi, ma- turant è patria proficisci, & iustis itineribus in Gal- liam contendunt.

Vbi de eorum profectione Carolus Francorum Rex certior est factus, Rupellanis supplicibus pacem dedit. Reuersum igitur ab exercitu Henricum Polo- niæ Regem, Seraphinus Oliuarius à Gregorio Pon- tifice maximo gratulandi causa missus salutauit, ro- samqué auream, velut boni omnis prænunciam, in lo- co consecrato obtulit, ipsius Pontificis manu sibi tra- ditam.

## POLONORVM IN GALLIA:

ditam, Romaq; allataim. Simul audit iunt Oratores aliorum Principum, ob id solum missi, ut intelligeret, quam propensa & perpetua fuisset, atque esset, dominorum suorum erga eum benevolentia: & ex epistola tua gratulatoria, Stanislae Hosii, magnam animo voluptatem cepit.

Ac priusquam Poloni extremos Galliae fines attigissent, Carolus Rex Theualio Praefecto Mediomaticum ciuitatis negotium dederat, ut eos comiter acceptos omnibus officiis blandae hospitalitatis excolaret, quod ab eo diligenter est factum. Paulisper in ea vrbe morati Lutetiam petunt, facto itinere per campos Catalaunorum Aetii de Hunnis victoria nobiles, comitantibus Carolo Carolo episcopo Lingonum Parie Francie, & Comite Bryennae, clarissimis viris: quos Rex ab se dimisso obuiam ire hospitibus suis iusserat.

Vrbem maximam totius Galliae feliciter attigerat 14. Calendas Septemb. nullo suorum desiderato, aut propter morbum in itinere relieto: cum prater legationis Principes & complures nobilissimos adolescentes, in comitatu essent amplius ducenti quinquaginta. Ad quos accipiendos Magistratus portis effusi obuiam gratulantes exierunt, & familia omnis regia, agmenq; nobilium equitum. Occurrerunt & ipsi Illustrissimi Principes Franciscus Borbonius agnationis regie adolescens, Henricus Dux Guislæ, Carolus Dux Meduanæ, cum patruelibus suis Duce Amalæ, & Marchione Helbouiensi. quorum nomine salutati a Paulo Fuxio illustri viro cum fuissent, porta Martiniiana urbem ingressi sunt, inuesti quadriugis curribus quinquaginta. Eo die non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus oculos ex-

## ACTA LEGATIONIS

ternæ gentis spectaculo impleret: sic ut reserta tecta ac laborantia, oppletas vndique vias, angustumque tramitem relictum sibi plurimum mirari viderentur. Parisienses vicissim attonitis similes summissas & rutilantes barbas, pellitos pileos, gemmatos enses, ferratas ocreas, pharetrasque & arcus, rasumque occiput foederatae gentis aspiciebant. In hoc aduentarum numero nullum sanè vidimus Latini sermonis imperitum: plures Italice Germaniceve loquebantur: quidam etiam tam oppositè Gallicas voces proferebant, ut ad Ligerim potius quam ad Vistulam nati viderentur: puduitque plures aulicos literarum hostes anteactæ viæ, cum interrogati ab hospitibus suis erubescere, ac turpi nutu respondere cogerentur.

Cum altero ab ingressu die quievissent, perendie in conspectum Caroli Regis deducti sunt. Is erat in Lupara regia maiorum suorum, ad citeriorem ripam Sequanæ amnis sita: ipsi trans flumen, è regione arcis hospitia sua habebant, tam oportuno loco, ut breuissimo temporis spatio sapienti amnem transire, & negotia sua procurare possent. Admissi, quam potuerunt de tristissime atque subiectissime, Regis dexteram osculati sunt. Locutus pro omnibus Episcopus Posnaniensis: exposuit quanti Senatus ceterique ordines Regni Poloniae Christianissimum Regem fecissent, ex eo intelligi potuisse, quod petitioni eius de fratre eligendo assensu essent: se, suosque collegas huius rei nunciandæ causa cum mandatis in Galliam venisse: sperare Rempublicam Poloniæ hanc electionem ritè factam maxima commoda toti Europe allaturam. Adeo Carolus respondit: illorum aduentum sibi gratissimum esse: cupere se non modo ut Poloni sentiant, sed ut omnes

## POLONORVM IN GALLIA.

omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat, nullam nationem cuiquam neque cariorem, neque ius cundiorēm vñquam fuisse, quam erit Polonica tibi, ob recordationem regii muneris Henrico fratri coniunctissimo tam benevolē delati. Plura etiam per Renatum Biragam Cancellarium suum, patria Insularem, ex familia nobili, & Gallicarum partium amantissima, in eam sententiam dici iussit. Eodem die, in seimoto tamen loco, salutarunt Catarinam Regum matrem, præstantissimam foeminam, & Isabellam nurum, Maximiliani Cæsaris filiam. Catarina Posnaniensem accedit perat Italiam linguam nosse. itaq; remotis interpres tam arguē ad singula respondit, ut breui oratione expresserit magnitudinem rari & supra sexum præstantis ingenit. Et vero posteritas omnis foeminæ huius vigilantiam laudatura est, in procurandis liberorum commodis honoribusq; mirabilem: meritoq; ambigitur, an viri prudentia olim præstare potuisset, quæ à viduæ elato fortiq; & regna sitiente animo excellenter gesta vidimus.

Postridie eius diei, à prandio, Legati, insensis equis, longo circuitu per publicum pontem ad regiam rediere, longè maiori apparatu quam pridie ventrant. Aureas enim textiles togas induit, senatoria grauitate imaginem quandam Romanę maiestatis referabant. Habenæ equorum argenteæ, distinctæque lucentibus gemmis, clitellæ inauratae ac prætiosæ phaleræ cum voluptate & aliqua etiam admiratione spectabantur. Sua quemq; familia pedes anteibat, composita ex generosis adolescentibus: in serica toga præeuntibus accensis cum ferreis bicubitalibus clavis. Ducti sunt à Principibus aulæ ad Regem suum, suscepitq;

## ACTA LEGATIONIS

Sceptiqz lato vultu. Tum Posnaniensis ita cum eo egit. Senatum, Equites, ac reliquos ordines Polonię Lituanięqz, recepto in cœlum Sigismundo Augusto, conuenisse, & exquisitis sententiis more maiorum, placuisse omnibus, ipsum utriusque gentis Regem pronunciari: sciret Regnum obsuminam opinionem virtutis sibi delatum, ea duce regi & conseruari oportere. Quod si pacta nomine suo à Legatis in Senatu facta iureius rando confirmare yellet, tum demum ea quæ decreto comitiorum electionis sancita essent, libentissimè executurum se & collegas suos. His Henricus ita respondebit. Quod tam beneuole in Regem electus esset, gratias Deo, & Senatui maximas habere, daturum operam ut conceptæ de se opinioni respondere posset. Quo responso Latine dato Philippus Huraltus cognomento Cheuernius, Cancellarius Andegauensis, cui Rex ob eximias virtutes, & veteris familiæ dignitate suminam rerum omnium fidem habebat, dicere iussus, exposuit aduentu Legatorum nihil Regi gratius aut optatius accidere potuisse, cupienti quām primum proficiisci ad regnum, quod Dei & Polonorum singulari munere consecutus esset: æquasse Legatos officiis, vel superasse potius regias cogitationes, confessu tam longo itinere, antequam ad se in Galliam peruenire potuerint: Regem à parte sua relaturum gratiam, atqz his tantis laboribus præstirum in posterum memoriam ac benevolentiam, quam iure deseret. Cumqz ab ipsis exemplum pactorum & conventionum accepisset, ea quoties vellent adhibita iurisurandi religione ultro affirmaturum. Hac cum discessisset, Legatis & secundum eos Polonis omnibus ad osculum Regiae dextræ admissis, Henricus, Posnaniensis

## POLONORVM IN GALLIA.

ensis dexteram præhendit, & vna Legati Caroli Regis cubiculum ingressi, cum eo colloquuntur. dimissisq; ad vesperum aliquot dies ad mandata inspicienda ipsa*tii* postulant.

Postero die constituerant Franciscum Alancos  
niorum Ducem ( qui Aulerci antiquitus fuere ) Re-  
gum fratrem salutatum ire : sed nocturna febri vexas-  
to molesti esse noluere. Itaq; ad Henricum Nauarros-  
rum Regem, ad Margaritam vxorem, ad Carolum  
Borbonium, & Carolum Lotarentum, Cardinales, as-  
dierunt. Biduo elapso, Posnaniensis cum Renato Vil-  
loclaro, & Philippo Cheuernio ad te missis, colloqui-  
tur cupere collegas, si sibi fiat facultas, Regem suum  
conuenire. Facta potestate proferunt conditiones il-  
las, de quibus supra demonstratum est : quæ in pala-  
tio Andegauensi recitatæ à scriba regio tum fuere.  
Vno capite continebatur, Henricum annuos fructus  
possessionum starum, quas in Gallia haberet, per men-  
sarios in Poloniam illaturum. Capitibus aliis de nomi-  
nibus successoris sui, de Academia Cracouienli, de pri-  
uilegiis, de sacris, de matrimonio, de classe, de semis-  
nario iuuentutis, de fœdere cum Gallis ineundo : quæ  
illo & proximè consecutis diebus in colloquiis repeti-  
ta sunt, adhibita in dubiis interpretatione, sed eitimos-  
di, quæ fines mandati diligenter custodiendos non ex-  
cederet, idcirco enim erant in illo Legatorum numero  
suri consulti duo, Herburtus & Sarius libris à se adi-  
tis cogniti, quorum opera ceteri collegæ plurimum uti  
videbantur. Regi verò aderant Renatus Biraga Can-  
cellarius Franciæ, Albaspina Episcopus Lemovicum,  
Ioannes Moruilerius, Philippus Huraltus, Belliuarts  
us, Guido Faurus Aduocatus fisci in Senatu Parisiens-

## ACTA LEGATIONIS

Si, & aliquot præterea ex cōsistorio Principis idonei homines. Colloquiorum exitus fuit, qualem Poloni optauerant, faustus ac felix, solemni epulo accedente in palatio Andegauensi dato v. Idus Septemb. ubi Oratores ad latera regiae mensæ accubuere: allurgentesque nudatis capitibus, qui gentis illius mos est, propinando Regi suo, pium & hilare pro ipsius salute votum coram fecerunt.

Postridie eius diei mané, in augustissimo templo insulæ Parisiorum, ad sacra conuenere Reges & Reginæ, Legati Poloniæ, Pontificis maximæ, Hispaniæ, Scotiæ, Venetorum, aliorumq; Principum Oratores: Cardinales quatuor, Carolus Borbonius, Carolus & Ludouicus Lotaringi, Aloysius Estenus, Episcopi, Senatores, aulici, ciues tam multi, ut locus in vastissimo templo vacuus nullus tuum fuerit, ne tholus quidem. Peractis sacris Henricus ad aram maximum, coram Petro Episcopo Parisiensi, propositis sacrotanctis Evangelii per Deum iurauit, sua cuiq; iura in Polonia, Lituaniaq; Ieruaturum iri. Juramenti formulam Oratores ipsi tradiderant, qualem conuentibus proximis per scriptam attulissent. Carolus Rex eodem loco etiam iurauit, quæ per Ioannem Monlucitum, Aegidium Abbatem Insulæ, & Guidonem Gelatium Prefectum Aginni Iacobrigum oratores suos, comitiis illis pactus esset, ea se bona fide impleturum, ac in Episcopio, quod est iuxta adem Virginis, præclaris hospitibus suis epulum dedit,

Perendie cum ad colloquium vocati essent, recitas sunt litteræ Cætaris, & comitiorum Germaniæ, quibus sacri imperii ordines, rogati, ut eorum voluntate Henrico in Poloniā prosecuturo iter per Germaniam

## POLONORVM IN GALLIA.

maniam facere licet, ipsi & comitatui, sed sine villo maleficio et iniuria, transiundi facultatem dabant. Habiti fuerant conuentus illi Francofurti ad Moenum, xvi Calend. Septembris. Data facultate uti placuit, gratiasq; agere omnibus, sed nominatim iis, per quos rum fines transire oporteret: ad quos literæ postea datae sunt, quarum sententia erat: Statuisse Henricum hac in re amplissimorum ordinum ut benevolentia, & collatum in se beneficium omni officiorum generes quoties se occasio obtulisset, remunerari.

Quarto Idus Septembris ad spectaculum recitatis onis decreti Confluxit magnus hominum numerus, ut basilica ingens Senatus Parisiensis completeretur: in qua Regum statuae à Pharamundo & Clodione ad Franciscum Caroli fratrem cum elogiis positæ visuntur. Diuifratres, Reginæque, & Henricus Nauarrorum Rex sororius, sub preciosis vimbellis, edito in theatro ad marinoram mensam confedere: ad laevam regiæ agnationis Principes, Henricus Borbonius Condensis, Ludouicus Borbonius Monperserii Dux, & Franciscus filius. Dextrum latus tenebant Cardinales quatuor, quorum mentio suprà facta est, Episcopi plures, Oratores Regum, regii Consiliarii. Infra id theatrum longa admodum serie in humilioribus scaennis Rector Academiæ, Senatores in lato clavo, Iudicesq; causarum, & multi præterea Iurisconsulti, Tribuniciæ arii, spectatorum uero ad decem millia, partim in gradibus scalarum pontibusque ligneis sedebant, partim stabant ubi quisque poterat. Facto silentio Legati Poloniæ basilicam ingrediuntur, clangētibus tubis, tibiisque ad oblationem frequentissimi Senatus peritissimè inflatis, Ad fores excepti sunt ab Henrico Guisa

## ACTA LEGATIONIS

Aulae magistro, deductiq; ad regium theatrum, vbi depositum est decretum arca argentea inclusum, quam ex Legatis duo humeris suis à gradibus basilicæ ad eū locum sustulerant. Posnaniensis pauca præfatus de Polonorum erga Carolum Regem studiis, ab eo petiit velletne Senatus consultum quo Henricus frater Rex Poloniae dictus esset, ipsi corā offerri recitarique? Responsum est placere. Conuersa igitur ad Regem suum oratione: Quod fœlix, inquit, faustum quē sit: Senatus, equites, cæterique ordines Poloniae et Lituaniæ, indictis centuriatis comitiis te Regem suum esse uno omnium ore iusserunt, atq; eius rei tam lætæ nuncium & decretum per nos in Galliam deferri. Primum rogant, vt quo animo & studio regnum ad te delatum est, eodem accipias, req; ipsa demonstres regium honorem non magis studio & voluntate gentis, quam egrediis suis in Rempub. Christianam meritis esse consecutum. Deinde orant, vt rebus patrimonii tui rectè constitutis pergas ad inaugurationem, ad possessionem regni, ad clientes, ad populos amantissimos nominis tui, Postea conuersus ad collegas suos, Reserate, ait, hanc argenteam feram, & senatus consultum proferte. In moranō fuere. si quidem momento temporis prolatum est, atque honorificentissimē oblatum Henrico Regi electo, pio, inclyto, triumphatori, magno: quod imperato silentio à Joanne Herburto Castellano Sanocensi recitari iubet. Prima parte recitata sunt nomina Iacobī Vchanski Archiepiscopi Gnesnensis, & sex Episcoporum qui conuentibus illis interfuerunt, Palatinorum, Castellanorum, Senatorumq; Poloniæ & Lituaniæ numero centum ac trium cæteri nobiles, ciuitates, incolæ, generali clausula comprehendebantur.

Secunda

## POLONORVM IN GALLIA.

Secunda parte mors Sigismundi Augusti, locus comitiorum, tempus, ratio, suffragia continebantur, & quam incredibili consensu libera decernendi potestate nulli erepta, Henricus Dux Andium Christianissimi Regis frater electus esset: eligendi causas quatuor fissile, splendorem familliae Valesiorum: summas naturae & fortunae dotes quibus ornatus esset: ipsius in Remp. Christianam merita: pactum de fructibus patrimonii sui in Poloniā inferendis. Ultimō decreto mandatum & nomina Legatorum testimoniq; qui interfuerint, ex primebantur. Decretum ipsum in membrana Romanis characteribus scite exaratum erat, appensis centum & decem sigillis, plura enim non fuisse constat. Recitato senatu & consulto Posnaniensis pauca iterum loquitur, & secundum eum Radewillus Lituanorum nomine, qui Polonis ipsis dignitate exequuntur.

Tum Henricus, actis Deo opt. max: ordinibus Regni Poloniæ, ipsiisque Oratoribus, gratis, ut nuper egerat, decretum hoc honorificèstimum sibi gratum, & iucundum esse palam professus est: vocatoq; ad se Cheuerino Cancellario suo, pluribus eum ad postulata respondere iubet, qui in eam orationem ingreditur. Nullum hac electione post hominum memoriam maius beneficium nequè Galliæ nequè Poloniæ à Deo datum, cùm multa acceperint laudataq; Senatus prudenter, revocauit vetus exemplum Neruæ Cælaris, & Alexandri Macedonis: quorum alter dignissimo dedit imperium: alter supremis verbis dari mandauit: dignissimum videri eum, cuius optatis Polonorum suffragia ob virtutem fauerint, quem absentem, presentibus, procul positum finitimus, externum suis pretulerint, eumq; ante capere regnum quam expectare vocerint.

## ACTA LEGATIONIS

Iuerint. Henricum talem grauissimo iudicio Senatus & maximo iudicatum, quam expectationem sui contitasset apud omnes gentes, eam in reliquum tempus tutaturum amplificaturumq;. REGEM POLONORUM causa, & honoris sui, sponte deserere dulcem patriam, pios parentes, coniunctissimos fratres: POLONIAM nunc sibi patriam esse. Serenitatem suam nemini plus debere, quam Legatis, electionis sue nuncis: quos neq; longitudo itineris, neq; asperitas viarum, neq; tot interiectae nationes & flumina a suscepto Legationis munere retardare potuerint. Ultimis verbis vocem illam Regis mandato ac nomine protulit, quam nulli unquam fasti præterire poterunt: E A M V S, quo nos Dei voluntas, & Christianæ Reip. amor vocat: Grata auditorum admurmuratione vox illa, & magno silentio excepta est antecedens oratio hominis singulari virtute prediti, aeternamq; dicenti laudem peperit.

Confestim phona sci regie domus hymnum Deo cœinere, Regesq; ipsi flexo genu supplices regnatorem cœli adorarunt, Reges pro arbitrio renunciantem deſtituentemq;: cum surexissent, Carolus prior hilari vultu ad fratris solium progressus, Christianissimo ritu eum amplexus osculatulq; est: Franciscus Alanciorum Dux, & Henricus Nauarorum Rex ad osculum quoque excepti, cœteri Principes imparicœremnia duntaxat venerati sunt, Legatis Poloniae fortem & inuictam dexteram Regis sui suauiori datum. Sub occasum solis dimisso Senatu, decretum iterum inclusum argentea theca humeris Ioannis Tomices & Andrei Gorcani Polonorum ad aram proximitem templi depositum est, commissumque fidei & custodice Philippi Huralti. Hanc sollemnem ceremoniam clausit fragor ingens

## POLONORVM IN GALLIA.

ingens tormentorum omnis generis, & nocturnum  
epulum à Carolo Rege in Lupara Legatis datum

Postero die Henricus Rex Poloniæ, cùm in pomœ-  
rio vrbis Rector Academiæ, & summus magistratus  
meditatas orationes coram habuissent: ipseq; militari  
facundia clarus gratulationi eorum grauissimè respon-  
disset: à porta Antoniana usque ad gradus Palatiis sub  
vinbella equitauit: transeuntem eum ciues faustis ac-  
clamationibus Regem consalutabant. Vnā equitarūt  
Legati Poloniæ, Galli proceres, & nobilissimi qui que  
ciuitatis filii familias, ipseq; ante alios Præfectus vr-  
bi, stipatus peditum sclopetariorum cohortibus quin-  
que. In compitis spectabantur triumphales arcus, py-  
ramides, statuæ, picturæ: quas magistratus vrbis cum  
poeticis inscriptionibus nouo Regi de ciuitate be-  
nemerito posuerant. Inscriptiones illæ Polonorum  
laudes, fratrum concordiam, ciuiumque in eos studia  
prolequebantur: quas Ioannes Auratus excellenti in-  
genio poeta scripserat.

Dic Martis proximo Regina in hortis suis, qui sūt  
in pomœrio ciuitatis contra Luparam, nocturno con-  
ciuiuio Legatos exceptit. Remotis mensis apparuit re-  
pentè præalta rupes nullo externo impulso se ipsam  
circumagens, & in cacuminibus x vi Nymphæ pari  
numero referentes prouincias Galliæ. Hę nymphæ ē  
gynecæo Reginarum puellæ nobiles erant: quæ post  
Syreneos cantus pullulq; lyre varios descenderunt in  
planiciem, vt Regi Poloniæ sua munera offerrent. Ibi  
saltationes inuisæ, & ignoti prius meandri, milleq; mo-  
di chorearum, ordo, gestus, motusq; corporum ma-  
gnam profectò spectatorū animis voluptatē attulere.

Die Mercurii placuit Regi & Legatis premi-  
re in

## ACTA LEGATIONIS

re in Poloniā Ioannem Sboroschum, per quem Senatus certior fieret de actis Legationis, de profectione Regis & tempore aduentus in Poloniā: ut beneficiarii regni ad in augurationem editio vocarentur.

Aliquot diebus post hanc missionem, Legatis Lautia à Carolo sunt data more maiorum, torques aurei, vasa argentea atq; aurea. Tandem omnibus rebus ad profectionem comparatis Rex Polonię Lutetia discelit iii. Calend. Octob. abeunte mērū ciues faustis omnibus sunt prosequuti: intellecturi cum reliqua Gallia, qualis quantusq; sit carendo melius quam fruendo.

Statuerat Rex cum vniuerso comitatu ad ultimos regni fines progredi, nec dittielli prius à fratre amansissimo sui, qui in ad Germanię limites ventum esset: verum in ipso itinere morbus eum coegerit consilium mutare. Vitriaci igitur, quod est oppidum Catalaunorū ad Matronam flumen, seiunctio illa facta est patriæ grauis. Vbi cognitum, in generosis animis minus virium habere naturam, quam honoris & perpetuae famæ cupiditatem: cum fratres omni anteacta vita coniunctissimi raro exemplo, & idcirco memorabili postrema salutatione amorem imis pectoribus infixum, in vultu quoque haberent: & Carolus corpore animoq; æger fratris discelsum grauiter ferret. Henricus lætus animi ad imperium pergeret, amans patrię sed amantior solidę laudis & gloriæ. A Catalaunorum finibus in Leucos continuato itinere Nāsum venit, Ptolomeo memoratum oppidum Leucorum, qui Lotaringi hodie appellantur. Dux gentis fororius Caroli Henriciq; Regum magnificentissimo apparatu comitatum omnem suscepit. Claudia vxor filiam recens enixa erat, cui in sacrolancto baptistmate Posnaniensem & collegas

## POLONORVM IN GALLIA

collegas Christiano ritu sponsores esse voluit. Blamontum tandem attigit: quo in loco Catarina charissimum filium & delicias suas, Franciscus Dux Alanconiorum, & Margarita soror amantissimum fratrem ultimò amplexi, Galliq̄ proceres Principem de patria & religione benemeritum venerati, cum mestitia in citeriorem Galliam rediere.

A beuntein Henricum secuti sunt præter Polonos, & Romani sedis nuncium Antistitem Montis Regalis in agro Taurino: Ludouicus Gonzaga Dux Nouioduni Heduorum: Carolus Dux Meduanæ Genomianorum, & Marchio Helbouiensis patruelles ex familiâ Principis Leucorum: Albertus Comes Radesiorum Marecallus Franciæ: Villoclarus Præfectus auilæ: Sillitus Comes Rupifortis: Eligius Comes Caunensis in Belgica secunda: Ioannes Salius cognomento Taurianus Vicecomes Liniorum: Ludouicus Picus, Misrandula: Cessacius Cadurcus: Besigninus Biturix: Gordes Allobrox: Antragii fratres nobili in Carnutibus nati loco: Cælius Cadurcus ex Leuia gente antiquissima: Beluilius Santo: Bellogardus militari gloria florens, forore Pauli Termi clari Ducus genitus: & spes statæ in bello virtutis adolescentes ex rota Gallia ferme sexcenti. Ex togatis autem Episcopus Flori municipii Aluernorum: Aegidius Abbas insulæ Belliuarius Lugdunensis, Legatus Caroli Francorum Regis in Ponâ futurus: Faurus Tholofas disertissimus Iurisconsultorum.

Blamontum usq; proceferant obuiam ex Germanis Christophorus Friderici Comitis Palatinifilius ex eadem familia ortus, Princeps Paruæpetræ, & Ludouicus Nansous Arausiani frater, per quos veluti itineris Duces Rex Poloniae Tabernas deducitur, Ausionii

C

Burdie

## ACTA LEGATIONIS

Burdigalensis versu celebres. Episcopus Argentorati mutata sede in illo oppido stationem habet. Suscepitus ab eo est tanta humanitate, ut Rex & comitatus omnis in patria, non in alieno solo sibi esse videretur. Alio quanto post per Nemetes & Vangiones ad Rhenum flumen venit, quo traecto statuit Hildebergam ad Fridericum Comitem Platinum diuertere. Aduentus quia insperatus, heroi gravior fuit: nec ullum officii genus in hospite Rege excolendo pretermitti curauit.

Ab Hildeberga transito Rheno in Vangiones resuersus Moguntiam contendit: à cuius civitatis Episcopo cum sexcentis equitibus obuiam progreso detenus, honorificentissimèq; habitus, Rhenum flumen traxit. Francofordia est municipium veteris Franciæ, appositum Mœno atnni, cuius accolæ erant Franei illi, per quos in Gallia regnum Francorum post Valentiniiani tertii imperium fœlicissimè stabilitum legimus: Ciues Regem origine suum omni hospitalitas genere honorauerunt. Mox Fulda in pergens nocturnis sacris natalis Christi interfuit cum domino opiduli illitus opulentí cœnobii Præfecto, & olim propter incolarum sanctimoniam celebri. Apud quem festis aliquot diebus in summo honore transactis, Vahicum petit, ubi Philippus Lantgravius Gallici nominis studiosissimus exquisitissimis honoribus eum affecit, cum tribus equitum millibus occurrens. Traecto igitur Visurgi & Albi fluminibus, Saxonum agros Caroli Magni victoriis claros emensus est, insalutatus ab Augusto Regulo gentis: quod à via miliari procul & æger esset. Casimirus gener mandato ipsius ad Regem venit, stipatus agmine nobilium equitum ad bis mille, comitatùsq; eum ad ultimos Saxoniæ fines nullo omissione honestissimi Principis erga exteris gētes officio. Patri honore

## POLONORVM IN GALLIA.

ri honore affectus est Locris à Legato Maximiliani Cæsaris, quem mille quingēti equites sequebātur. Attis git demū fines Brādeburgensis Reguli, beneficiarii Res gis Poloniæ: à cuius familia honorificētissimē suscep̄tus deducit̄ur Francosurtum, ad Oderam amnem, qui hodie Polonorū fines à Germanis diuidit.

Hæc per Germaniā Henrici peregrinatio sūit magna clarissimi hospitis et in colarū laude: siquidem Germanis decori erit apud omnes gētes fidem publicē datā seruasse, adiunxiss̄ eq̄ hospitales triumphos, quibus noui Regis virtutē honestarent: simulq; gluaderent orbi terre Germanos periurium, criminis non sermonis gēnus putare: Rex verò sūmam in vultu gratiā, humanitatem, et prudentiam gerens, per quorū fines trāslit̄, eos in sui admirationem ita cōuertit, ut Polonos sapientes & beatos iudicarent, qui tante virtutis Regem sibi delegissent. Miedzericiū igitur peruenit s. Calē. Feb. anno 1574. quod fœlix faustumq; sit. Id est oppidum ad ripas Odre amnis, quo in loco suscep̄tus est a clientibus suis incredibili gaudio lētitiacq; gentis.

Habita est in illo congressu, nomine ciuiū tuorum, oratio acuta et grauis ab Episcopo amplitudini tuę dilecta, cui Serenissimus Rex primum Italice, mox Fau rus è Palladia Tholosa facundissimus Orator appositē respondit: quæ cōciones, cūm iam lucem videant, ipsæ se offerent conspectui tuo. A Miedzericio Posnaniā itū est, collegæ tui soliū clarissimi et prudentissimi viri: ubi Rex magnificentissimē suscep̄tus, iter suū prosequitur, Cracoviam per discussas niues properans, quæ est ciuitas ad Vistulam flumen totius regni maxima. Ad eam cūm esset, præmisit Albertum comitem Radesias rum, ut nomine suo iustis Sigismundi Augusti et solleminibus inferiis intercesset, quas ante ingressū et inaugu-

*Scot.*  
1930. 100 pp.


## ACTA LEGATIONIS


rationē nouī Regis more maiorū persolui oportebat. Quibus peractis Cracouīā ingreditur, quanta ciuiūlæticia, gaudioq; et plauſu, quis dicendo cōplecti queat. Inunctus demū est in æde Cracouensiā VIII Calē. Marias, die Solis, seruato ritu et c̄eremoniis maiorū. Huic sacrę inaugurationi interfuerū Legati Gregorii XIII. Pontificis Romani, Maximiliani Cæsaris, Regū Hungariæ et Suetiæ, Oratores Principum Germaniæ, finis timar umq; gentium, & Senatorum, procerumq; Poloniarū ac Lituaniæ ingens numerus.

Ego verō, clarissime Hosī, narrationi meae finem imponā, ne iniuriam fecisse videar excellentibus ingeniis ciuiū tuorum, qui honores in aduentu Regi habitos, et Cracouensiū in sacra inauguratione triumphos meino riq; mandaturū sūt. Vnum modō dicā, videri mihi Galiliā nudātam magno pr̄esidio hoc tempore ciuilium bellorū, Principe iuuentutis, et Catolicę religionis pro pugnatore à se distracto: Poloniā autem beatā iudico hoc Rege studiosissimo virtutis & glorię, ipsiusq; non cliente sed domino fortunā. Regem vero fœlicē, quia nationi pr̄est feraci parētiq; illustriū ingeniorum, quo in numero instar preciosissimi lapilli semper emicuisti, Stanislae, religione, scientia, morū integritate superior multis, inferior nullo. Extrema narratione serenissimo Henrico stabile et diuturnū imperium posco à Deo, & quādo peragrata omni Germania saluus et incolus ad Cracouiam regni sui sedē peruenit, sacratusque est, vtinā regnet tā piē, iuste, fœliciter, vt in posterum Polonica natio bellicola & potens, cæteræq; gentes Regibus destitutæ, non aliundē sibi dominos, quam ex regia Francorum deligēdos putent quæ retroactis temporibus regum Europæ atq; Asie seminarū fuit.

FINIS.







300,-

•KSIEGARNIA•  
ANTYKWARIAT



No 31863

